

abfui ab istorum temeritate, qui omnia sibi licere putant, dummodo antistrophas efficiant.

Emendationes vero virorum doctorum etiamsi a me non probatas, ne quis non omnia ad manum esse quereretur, in notis exhibui, in qua tamen re delectus fuit adhibendus, tam multa enim, et magna ex parte inepta atque ridicula, commenti sunt Aeschyli editores, ut, si omnia voluissem afferre, libri moles sine fructu mirum quantum accrevisset; quare Pauwii, Heathii, Arnaldi, Bothii, Burgessii, Lafontanii mutationes plerasque silentio transii, minime timens, ne quis jacturam factam esse conqueratur, neque Schützi omnes attulissem, nisi ejus editio auctoritatem quandam nacta esset omniumque manibus tereretur. Diligentissime autem collegi, quaecunque a viris doctis aliud agentibus obiter, sed saepe egregie, de singulis Aeschyli locis monita sunt, quorum per varios libros sparsorum haud multa me fugisse puto.

Textui fundamenti instar, quo nitatur, subjeci varias lectiones omnes librorum omnium, quotquot adhuc collati sunt. Codices quidem novos conferre mihi non licuit, sed editiones veteres, Aldinam, Robortellianam, Turnebianam, Victorianam, quarum summa est auctoritas et praestantia, quarumque lectiones incredibili negligentia enotaverat Schützius, denuo accuratissime et non

Carton  
manus